

**Oratio Quotidiana Consecratorum
Ad Dominam Nostram de Guadalupe
Die XII mensis Decembris MMXXIV**

O Virgo Dei Mater, Domina Nostra de Guadalupe, novo die incipiente, consecrationem meam renovo tibi, matri compassivae meae. Oro hodie, cum Sancto Ioanne Didaco, ut sim et ego kalo fidelis tuus semper.

Intercedere, quaeso, digneris ut convertatur cor meum ad Christum, Filium tuum Divinum. Per totam diem, fac ut cor meum, una cum Corde tuo Doloroso atque Immaculato, semper perfectius remaneat in Corde gloriosissime transfixo Eius. Ut faciam in omnibus quidquid petierit a me. In difficultatibus, angustiis et temptationibus, in amplexu brachiorum tuorum securus, confidam Eum in me mortem peccatumque victurum esse, ut promisit.

Oro et pro multis qui Christum dereliquerunt, et plurimis qui nondum Eum noverunt. Adducas millia animarum millium ad Christum, et fac ut ipse kalo tuus, animas adducam ad Eum qui est salus unica nostra.

O Domina de Guadalupe, familiam patriamque meam sub pallio tuo colloco, deprecans ut Christus regnet in omnibus hominum cordibus ex Corde Suo Sacratissimo. Te intercedente, in corda humilia et contrita infundat donum septenarium Spiritus Sancti, quod omnes tenebras et peccata dissipat, et ea corda inflammat divina veritate atque amore.

Quotidie incedam, oro, Christo vivens, in hoc vitae itinere ad mansionem meam veram ac permanentem una tecum et angelis omnibusque sanctis, ubi Deum laudabimus et glorificabimus in saecula – Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Haec peto ex toto corde meo, in nomine Christi, Filii tui Divini, Domini ac Salvatoris mei. Amen.

Raymundus Leo S.R.E. Cardinalis BURKE

*HAEC IMAGO MARMOREA DEPICTA SANCTI JOANNIS DIDACI SCULPTA EST A ROMANO COSCI (1939-2014) PRO ECCLESIA SANCTUARI DOMINAE NOSTRAE DE GUADALUPE IN OPPIDO CROSSENSE, VISCONSINIA.
VISITA SANCTUARIUM DOMINAE NOSTRAE DE GUADALUPE*

5250 JUSTIN ROAD
OPPIDUM CROSSENSE, VISCONSINIA 54601.
GUADALUPESHRIINE.ORG

